

annexum contraxerunt, indigere dispensatione ad valide contrahendum, de quibus vide etiam Corradum *Prax. dispensat. Apostol.* lib. VIII, cap. ix, n. 7.

27. *Pœna legis incurritur a transgressoribus pœnæ, etsi pœnam appositam ignorent.* — Obijcies: Ignorantia pœnæ ecclesiasticæ excusat a pœna, etsi cæteroquin quis peccet contra legem, arg. c. *Ut animarum. 2, de Constit.* in 6, atqui impedimentum criminis statutum est per modum pœnæ in odium delicti, ergo. Resp. Negando majorem, quia, qui culpabiliter transgreditur legem, incurrit etiam ejusdem pœnam, etsi hanc transgressoribus impositam esse ignoret (exceptis censuris) prout habet communis doctorum, et amplius dicitur infra.

Nec obstat c. *Ut animarum. 2, de Constit.* in 6, quia ibi est quæstio de censura excommunicationis, quæ utique non incurritur sine notitia, hoc ipso, quod requirat contumaciam, quæ sine notitia non datur. Accedit, quod dato, non concesso, ignorantia pœnæ excuset a pœna simpliciter lata, tamen non excusat a pœna inhabilitatem inducente, prout est in proposito impedimentum criminis. Plura de hoc alibi. (ADNOTATIO LXXXI.)

### TITULUS VIII.

#### De conjugio leprosorum.

1. *Ratio ordinis.* — Quandoquidem leprosi a consortio hominum separari solent, matrimonium autem individuam vitæ societatem exigat, merito occasione impedimentorum agitur etiam de matrimonio leprosorum, indagando, an etiam inter hos, et quomodo matrimonium consistere valeat?

2. *Lepra nec impedit, nec dirimit matrimonium.* — Quæritur itaque I. An lepra sit impedimentum matrimonii contrahendi, vel contracti? vel saltem præbeat causam dissolvendi sponsalia? Resp. I. Lepra nec dirimens, nec impediens est impedimentum matrimonii, non tantum, si ambo sunt leprosi, sed etiam, quando unus tantum leprosus est; dummodo inveniatur, qui ei nubere velit. Communis ac certa, textu expresso c. *Quoniam. 2, h. t. ibi:* « Leprosi autem si continere nolint, et aliquam, quæ sibi nu-

bere velit, invenerint, liberam est eis ad matrimonium convolare. »

3. *Nec solvit quoad vinculum matrimonium necdum consummatum.* — Resp. II. Ob lepram supervenientem non potest quoad vinculum solvi matrimonium, sive copula carnali consummatum sit, sive non. Rursus unanimis. Et quidem si matrimonium jam fuit consummatum, patet ex c. 1, § *Quoniam, h. t.* Ratio est, quia tunc matrimonium est indissolubile jure divino *Matth. xix, 6.* Altera pars, quod etiam matrimonium solummodo ratum, et nondum consummatum, per lepram non dirimatur, constat ex c. 2, eod. Et ratio est, quia sola professio religiosa habet virtutem dirimendi matrimonium ratum, nondum consummatum, c. *Veniens. 2, et c. Ex publico. 7, de Convers. conjug.*

4. Nec obstat c. *fin. h. t.* ubi dicitur, quod superveniente lepra in una conjuge, alter ad eam accipiendam cogi non debeat; cum nondum inter eos matrimonium fuerit consummatum. Resp. enim, ibi per ly consummatum non intelligi consummationem per copulam carnalem, sed de consummatione per consensum, quo perficitur, seu consummatur matrimonium quoad essentiam, arg. l. *Nuptias. 30, ff. de Reg. jur.* et notant in cit. *fin. c.* doctores communiter, patetque aperte per contextum, utpote qui non erat de matrimonio, sed de sponsalibus, ad quæ perficienda seu executioni mandanda, consequenter ad consummanda per matrimonium nemo cogi potest, si lepra superveniat.

5. *Præbet tamen causam solvendi sponsalia.* — Resp. III. Lepra superveniens sufficientem præbet causam solvendi sponsalia de futuro. Rursus unanimis textu expresso c. *fin. h. t.* et jam dictum est supra.

6. *Non item causam divortii; aut negandi debitum conjugale.* — Quæritur II. An lepra vel alia infirmitas superveniens præbeat causam divortii, et negandi debitum conjugale, ita ut sanus a leproso quoad thorum et cohabitationem se separare, et debitum conjugale negare valeat? Resp. I. Ordinarie loquendo, ob supervenientem lepram sanus conjux a leproso nec separari, nec eidem debitum conjugale negare potest, nisi iudicio medicorum aut peritorum probabile sit periculum gravis infectionis. Ita expresso statutum habetur c. 1 et 2, h. t. ibi: « Quoniam nemini licet (excepta causa fornicatio-

nis) uxorem dimittere; constat, quod sive mulier lepra percussa fuerit, sive alia gravi infirmitate detenta, non est a viro propterea separanda, vel etiam dimittenda. Et infra quod, si virum sive uxorem leprosum fieri contigerit, et infirmus a sano carnale debitum exigat, generali præcepto apostoli, quod exigitur, est solvendum: cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur. »

7. *Nisi iudicio peritorum sit periculum gravis infectionis. Caritas incipit ab ego.* — Dicitur autem notanter in conclusione: « Nisi iudicio medicorum, aut peritorum probabile sit periculum gravis infectionis. » Hoc enim in casu debitum negare, separationem a thoro et cohabitatione petere omnino posset conjux sanus, si non tantum ex debito conjugali, sed etiam ex sola cohabitatione præfatum periculum timendum foret, juxta communem doctorum ut videre est apud Sanchez, lib. VII, disp. 24, n. 17; Barbosa, in c. 2, h. t.; Navarrum, in *Manual.* cap. xvi, n. 25; Engel, h. t.; Pirhing, h. t. n. 10, arg. c. 1, h. t. ubi dicitur « quod, si sani non possint induci, ut conjugaliter cohabitent leprosis conjugibus, cogi non possint, » dummodo uterque altero vivente continentiam servet. Ratio est, quia prudenter præsumi non potest, quod vel ipsi contrahentes obligare se intenderint, vel ipsum matrimonium obliget ad talem usum matrimonii, qui evidenter vergit ad destructionem proprii individui; præsertim cum usus matrimonii sequatur rectum ordinem naturæ, utpote in cuius officium est institutum. Rectus autem ordo naturæ postulat, aut saltem concedit, ut prius consuleretur incolunitati proprii individui, hoc ipso, quod ordinata charitas incipiat ab ego, arg. can. *Si non licet. 9, cau. 2, q. 5, et c. Dilecto. de Præbend.*

8. *Qui scivit prius, futurum conjugem esse lepra infectum, non potest ob periculum infectionis ei negare debitum.* — Hic tamen notandum cum Sanchez, loc. cit. n. 22; Ledesma, loc. cit.; Barbosa, loc. cit. n. 4; Bonacina, loc. cit. n. 8, quod, si lepra aut alius morbus etiam contagiosus præcessit matrimonium, et hoc sanus sponsus scivit, non possit negare debitum, nec prætere separationem, etsi adsit periculum similia infectionis. Ratio est, quia per contractum scienter ad hoc se obligavit, et sibi imputare debet, quod talem conjugem acceperit. Accedit, quod si leprosus conjux scivisset, ta-

lem ob lepram, aut aliam infirmitatem, quam ei fideliter detegit, vel non abscondit, sibi negaturum debitum conjugale, forsancum alio contraxisset, prout poterat, arg. c. 2, h. t.

9. *Idem quod de lepra dictum, de aliis infirmitatibus intelligi etiam debet.* — Resp. II. Idem, quod de lepra diximus, etiam de illis infirmitatibus procedit, videlicet quod ob eam sanus ab infirmo nec quoad thorum separari, nec eidem debitum conjugale negare possit, nisi ex eo probabile exurgeret periculum infectionis. Sanchez, loc. cit. n. 18; Bonacina, de *Matrim.* q. 4, pun. 1, n. 8; Ledesma, de *Matrim.* q. 64, a. 1, dub. 2; Barbosa, loc. cit. n. 3, cum communi, arg. c. 2, h. t. ibi: « Vel alia gravi infirmitate detenta. » Idque ob eandem rationem: ubi enim eadem est ratio, eadem est legis dispositio, l. *Ideo. ff. de Legib.*

10. *Qui sine periculo infectionis potest cohabitare, tenetur ad id, etsi debitum sine periculo reddere nequeat.* — Id tamen hic notandum, quod, si solum periculum timendum sit ex debito conjugali, non item ex cohabitatione, ad hanc teneatur sanus, licet debitum reddere non obligetur, quia præter debitum conjugale specialis conjugibus incumbit obligatio ad cohabitandum, arg. c. 2, h. t. cum concordantiis, consequenter, si nulla causa excusans adest, ad eam tenebitur. Et sane sæpe occurret casus infirmitatis, ob quam licebit negare debitum conjugale, non item cohabitationem aut thorum. (ADNOTATIO LXXXII.)

### TITULUS IX.

#### De conjugio servorum.

1. *Ratio continuationis.* — Adductis nonnullis impedimentis matrimonii pergit compilerator canonum in præsentem ad aliud, conditionis nempe impedimentum, de quo in præsentem titulo agitur, simulque statuitur, quid juris de conjugio servorum.

2. *Impedimentum conditionis, quid?* — Quæritur I. Quid sit? et in quo consistat impedimentum conditionis? Item quo jure sit introductum? Resp. I. Impedimentum conditionis est error circa statutum servilem personæ, cui nubit libera persona; et con-

sequenter istud impedimentum consistit in hoc, quod libera persona ex errore aut ignorantia contrahat cum persona servili, et propterea matrimonium nullum ac irritum est. Ita in re communis, arg. toto tit. præsentis, patebitque statim ex sequentibus.

3. *Est jure naturæ introductum.* — Resp. II. Impedimentum conditionis non solo jure humano ecclesiastico, sed etiam naturali est introductum. Scotus, in 4, dist. 30, q. 1, et ibi Magister sententiarum, Sylvester, 7. *Matrimonium*, 6, q. 1 et 2, et alii contra Sanchez, lib. VII, disp. 19, n. 16, et communiorem aliorum. Ratio est, quia error conditionis semper supponitur evacuare totum consensum. Hoc ipso enim, quod per matrimonium fiat permutatio corporum, et mutua traditio pleni juris, illud in ordine ad usum matrimoniale, servus autem liberum usum corporis sui non habeat, et propterea dare non possit, merito præsumitur, nolle liberam personam commutare potestatem sui corporis cum potestate corporis servi, utpote quam non habet; uti bene discurret doctor subtilis loc. cit. Accedit, quod in toto jure non reperitur textus irritans matrimonium cum impedimento conditionis contractum, consequenter supponat illud jure naturæ jam esse irritum, defectu nempe consensus, cujus defectu matrimonium irritum esse jure naturæ, nemo negat. Quod si contendas, fieri posse, quod libera persona ignorans conditionem servilem alterius adhuc habeat consensum contrahendi cum tali persona, Resp. Tunc esse matrimonium validum, sed negatur, id præsumi posse, aut debere ob rationem supra dictam.

4. *Persona libera si contrahat cum servili, quam servilem esse ignorat, matrimonium est nullum.* — Quæritur II. Quid juris de matrimoniis servorum tam cum liberis, quam inter se contractis? An nempe, et quando valida sint et licita? Resp. I. Si servus contrahit cum libera, aut ancilla cum libero ignaro, contrahentem secum esse personam servilem, nullum ac irritum est matrimonium ob impedimentum conditionis. Unanimis ac certa, textu expresso c. 2, et fin. h. t. juncto can. *Si quis ingenuus*, 4, cau. 29, q. 2, ibi: « Si quis ingenuus homo uxorem ancillam alterius acceperit, et existimat, quod ingenua sit, si ipsa femina postea in servitute fuerit detecta, si voluerit, aliam accipiat. Si autem ancillam eam scierat, legitimam eam habeat: similiter et mulier

ingenua de servo alterius facere debet. » (ADNOTATIO LXXXIII.)

5. *Dummodo proprie sit servus, aut ancilla.* — Procedit autem conclusio solummodo de servis et ancillis proprie talibus; non item de servis adscriptitiis, nec de originariis; cum his enim matrimonia per liberos contracta valida esse, etsi liberæ personæ ignoraverint conditionem illarum, cum quibus contraxerunt, cum communi aliorum bene docet Abbas, in c. 2, h. t. n. 5; Sanchez, lib. VII, disp. 19, n. 9. Ratio est, tum quia verba in propria significatione sunt accipienda, arg. l. *Non aliter*. ff. de *Legatis III*, ibi: « Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam, cum manifestum est, aliud sensisse testatorem, cum concord. » Tum quia adscriptitii et originarii re ipsa adhuc sunt liberi, arg. l. *Definimus*, 13, c. de *Agric. et censib.* Quinam vero sint servi proprie dicti, quinam improprie tales, seu adscriptitii et originarii, et unde veniant: item qualis natura et obligatio eorum, vide lib. I, tit. XVIII, de *Servis non ordinand.* Porro persona, quæ inter masculos dicitur servus proprius, inter femellas dicitur ancilla, arg. cit. can. *Si quis ingenuus*, 4, cau. 29, q. 2, cum concordantiis.

6. *Duæ personæ serviles valide ac licite etiam invito domino contrahunt matrimonium.* — Resp. II. Matrimonium inter duas personas serviles, servum videlicet et ancillam proprie tales licitum et validum est, etiamsi contradicente domino sit contractum. Ita cum D. Thoma, in 4, dist. 36, q. un. a. 2. Doctores universi, teste Sanchez, lib. VII, disp. 21, n. 3, ob claram dispositionem juris c. 12, h. t. ibi: « Nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi: etsi contradicentibus dominis et invitis contracta fuerint, nulla ratione propter hoc sunt dissolvenda. » Ratio est, quia matrimonium jure naturali ac divino tum ad propagationem, et conservationem generis humani, tum in remedium concupiscentiæ concessum est, quod servis suis dominus auferre non potest.

7. *Solvitur objectio.* — Nec obstat, quod servi ad professionem religiosam invito domino non admittantur arg. can. *Si quis servum*, 37 et 38, cau. 17, q. 4, cum concordantiis. Et etiam prohibitum sit, invito domino servum ordinare, prout patet ex toto tit. de *Servis non ordinandis*. Nam contra est, quod non eadem sed diversa ratio sit inter

matrimonium et professionem religiosam, ac sacram ordinationem; cum enim per hanc utramque homo Deo et divinis obsequiis toto vitæ tempore totaliter mancipetur, et propterea a servitiis domino debitis eximatur et impediatur injuria fieret domino et injuria committeretur, si invito suo jure et obsequiis sibi debitis privaretur; quod in matrimonio minime contingit; quia a servis et ancillis etiam matrimonio conjunctis « debita et consueta servitia non minus debent propriis dominis exhiberi, » uti expresse decernitur cit. c. 1, h. t.

8. *Matrimonium liberæ cum servili cognita ut tali validum ac licitum est.* — Resp. III. Licitum et validum est matrimonium, quod libera persona cum servili contrahit, casu quo prius scit, eam esse personam servilem proprie talem. Unanimis ac certa, textu expresso c. 11, et fin. h. t., juncto can. *Si quis lib. II*, can. *Si quis ingenuus*, can. *Si femina* 5, cau. 29, q. 2, ibi: « Si femina ingenua acceperit servum, sciens, quod servus esset, habeat eum. Ratio est, quia tunc cessat error, » et contrahens libera persona non decipitur, censeturque remittere jus suum, consequenter abest impedimentum conditionis, et, ut supponitur, quodvis aliud.

9. *Solvitur instantia.* — Nec obstat l. *Cum ancillis*, 3. *C. de Incestis nuptiis*, ubi matrimonium liberorum cum ancillis reprobat; quia ex hujusmodi contubernio (ubi ibidem rationem apponens ait imperator) servi nascuntur. Nam contra est, quod dicta l. III, correctæ sit a Jure canonico, per canones num. præced. citatos, uti bene advertit Abbas c. *Proposuit*, h. t., n. 3, in materia autem matrimoniali standum est juri canonico, arg. penult. et ult. h. t., de *Secundis nupt.*

10. *Liber contrahens cum libera, quam putat esse servam, valide contrahit.* — Resp. IV. Pariter valet matrimonium, quod liber contrahit cum libera, quam ex errore putat servam, vel etiam servus liberam, quam existimat esse servam; dummodo libera sciat conditionem servi. Sanchez, lib. VII, disp. 19 n. 23, dicens, conclusionem esse certissimam, Hostiensis, in c. 3n., h. t., n. 2, cum communi aliorum contra nonnullos. Ratio est, quia impedimentum conditionis tantum inductum est in casu, quo contrahens ex ignorantia seu errore status, deteriorationem faceret conditionem suam, et damnum incurreret irreparabile; quod non con-

tingit, si liber contrahit cum libera, quam putat esse servam; quia exinde non deterioratur ejus conditio; nec si servus cum libera, quam credit esse ancillam, quia melioratur ejus conditio. Accedit, quod in dubio et controversia judicandum et sentiendum sit pro valore matrimonii, c. *Licet ex quadam*, 47, de *Testib. et Attestat.*

11. *De liberis servorum, et divortio liberi cum serva. Remissive.* — Quæritur III. Quid juris de prolihus natis a parentibus, quorum unus liber, alter servus est? Resp. Ad hoc quæsitum patere tit. seq.

Quæritur IV. An et quomodo liber recedere possit a conjuge servili, cum qua ignarus conditionis servilis contraxit? Resp. Ad hoc quæsitum patere infra tit. XIX, de *Divortiiis*, ubi universaliter docebimus, an, et quo modo discedere possint aut debeant qui cum impedimento dirimente contraxerunt.

## TITULUS X.

### De natis ex libero ventre.

1. *Ratio ordinis.* — Quia ut ex tit. præced. constat, potest servus licite et valide contrahere matrimonium cum libera (si hæc velit) etiam liber cum serva; hinc merito subjungitur præsens titulus de statu prolium ex tali conjugio procreatarum, præsertim illarum, quæ ex libero ventre, id est, matre existente libera persona, et patre existente servo gignuntur. Itaque.

2. *Proles sequitur quoad statum servitutis et libertatis conditionem matris.* — Quæritur. Cujus conditionis et status reputentur, et sint proles, si diversæ conditionis existant parentes, præsertim si pater est servus, mater vero libera? Resp. I. Proles quoad ingenuitatem, seu libertatem, et servitutem sequuntur matrem, ita, ut si mater sit ancilla, proles quoque evadant personæ serviles, etsi pater sit ingenuus; et e contra, si mater sit ingenua, tales etiam sint proles, etsi pater sit servus. Ita communis ac certa; quia juxta tritam illam regulam: Partus sequitur ventrem, id est, conditionem matris suæ, quæ prolem in ventre portat, arg. l. *Partum*, 7, *C. de Rei vindicat.*, ibi: « Partum ancillæ matris sequi conditionem, nec sta-

tum patris in hac specie considerari, explorati juris est,» prin. *Instit. de ingenuis*, ac l. *Nec diutius*, 22, de *Agricol. et censib.* juncto c. fin., de *Servis non ordinand.* ibi: «Mater sua, cujus conditionem debet imitari,» cum concordantiis. Ratio hujus multiplex allegatur a juristis: in primis, quod mater, quæ in et extra uterum prolem sanguine et lacte nutrit, plus conferat ad generationem et substantiam prolis, quam pater; consequenter a potiori merito fiat denominatio. Item, quia legislatores ad id, quod certius est, aspexerunt. De matre autem prolis semper certius constat, quam de patre, arg. l. *Filium*, 6, ff., de *his, qui sui vel alieni jur.*

3. *Est tamen proles libera, si mater talis fuit sive tempore conceptionis, sive natiuitatis.* — *Libertas res inæstimabilis, et omnibus rebus favorabilior est.* — Sufficit tamen ad prolis libertatem, si mater libera vel ingenua fuit; sive dein tempore conceptionis, sive natiuitatis, sive intermedio, textu expresso l. *Et servorum*, 5, §§ 2 et 3, de *Statu hominum*, et prin. *Instit. de Ingen.* ibi: «Sufficit autem liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur, licet ancilla conceperit, et e contrario, si libera conceperit, et dein ancilla pariat, placuit eum, qui nascitur, liberum nasci.» idque ob favorem libertatis, nam: «Libertas res inæstimabilis est,» l. *Libertas*, 106, de *Reg. jur.*, et omnibus rebus favorabilior est, l. *Libertas*, 122, ff. eod.

4. *Quoad nobilitatem et dignitatem proles legitime nate sequuntur conditionem patris.* — Resp. II. Quoad familiam, nobilitatem, dignitatem et honorem proles legitime nate sequuntur conditionem patris, ita, ut si hic sit nobilis, tales sint etiam proles, etsi mater sit plebeia. E contra si pater sit ignobilis, tales etiam reputentur proles; est communis arg. l. *Cum legitimæ*, 19, ff. de *Statu hom.*, ibi: «Cum legitimæ nuptiæ factæ sunt, patrem liberi sequuntur,» supple quoad honorem et dignitatem, ut jura iuribus concordentur. Hinc notanter dicitur in l. *Partum*, 7, C. de *Rei vindicat.* in hac specie, libertatis nempe, et servitutis, statum patris non considerari: ergo a sensu contrario in aliqua specie, dignitatis videlicet et honoris statum patris considerare oportet.

5. *Tandem sequuntur etiam uxores.* — Imo in hac specie etiam femina nanciscuntur conditionem viri, textu expresso l. *Femina*, 8, ff. de *Senat.*, ibi: «Feminae nuptiæ clarissimis personis, clarissimarum personarum

appellatione continentur,» et l. *Mulieres*, 13, C. de *Dignit.*, ibi: «Mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, etc. Si autem minoris ordinis virum postea sortitæ fuerint, priori dignitate privatae, posterioris mariti sequuntur conditionem.»

6. *Quæ tamen cuncta limitantur, si alicubi contraria consuetudo.* — Cæterum utraque tam n. 2, quam n. 4, posita conclusio limitatur in loco, ubi alia habetur consuetudo; hæc enim in ista materia approbatur, c. *Licet*, 3, de *Conjug. servo.* et merito, quia, quod puerus in hac vel illa specie sequatur patrem vel matrem, est meri juris humani, contra quod utique consuetudo valet, c. fin. de *consuetud.*

7. *Aut specialia statuta sunt. Statutis ecclesiarum cathedralium, et consuetudinibus de non admittendis, nisi nobilibus, an et quali clausula in brevi papali, censeatur derogatum?* — Limitatur insuper posterior conclusio n. 4, posita in loco, ubi specialia statuta habentur aut leges, vi quarum in prole requiritur nobilitas ex utroque parente qualia statuta vigent in multis ecclesiis cathedralibus Germaniæ vi quorum ad canonicatum assumi nequit, qui nobilitatem ex utraque linea materna nempe, et paterna per certam seriem probare non potest. Quibus tamen statutis sicut et consuetudini papa procul dubio derogare potest, et actu derogat, quando in collatione canonicatus illam salutarem clausulam inserit: «Non obstantibus quacunque consuetudine, vel particularibus statutis Ecclesiæ;» nisi consuetudo esset immemorialis, vel statuta juramento essent roborata, aut a pontifice confirmata. Quamvis et his papa derogare possit, et actu deroget, si id exprimat, utendo clausula: «Non obstante quacunque consuetudine etiam immemoriali, vel statutis ecclesiæ juramento, vel auctoritate apostolica confirmatis, etc.» uti videre est apud Barbosam de *Clausulis*, Clausula 84 et 87, et diximus amplius lib. I, tit. II, de *Constit.*, a n. 498, et tit. IV, a n. 188.

#### TITULUS XI.

##### De cognatione spirituali.

1. *Ratio continuationis.* — Inter impedimenta dirimentia præcipuum, et valde fre-

quens est cognatio; quæ triplex invenitur, spiritualis nempe, legalis et naturalis seu carnalis. De prima utpote digniore in præsentia, et duabus aliis in subsequentibus agitur titulis.

2. *Cognatio spiritualis, quid: Et unde?* — Queritur I. Quid, et quotuplex sit cognatio spiritualis in ordine ad dirimendum matrimonium? et quo jure introducta? Resp. I. Cognatio spiritualis est propinquitas personarum proveniens ex dispensatione sacramentali baptismatis, et confirmationis. Scotus, in 4, dist. 42, q. un, n. 2. Estque in re communis, arg. *Toto præsentitituo*. Adducitur autem causa hujus dirimentis, dispensatio nempe solius «baptismi, et confirmationis, quia ex datione aliorum sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediatur, aut dissolvatur;» prout his ipsis verbis dicitur c. fin. h. t. in 6.

3. *Ex catechismo non amplius oritur cognatio spiritualis.* — Dices, etiam ex catechismo seu instructione fidei oritur cognatio spiritualis et impedimentum saltem impediens matrimonium, textu expresso c. *Contracto*, 5, h. t., et c. II, eod. in 6: Ergo cognationis spiritualis definitio non est bona, utpote non omni definito conveniens. Resp. Cognationem et impedimentum ex catechismo sublatum, et jus antiquum in hoc correctum fuisse a concilio Tridentino, sess. 24, de *Reform.*, cap. II, prout contra paucos alios advertunt Pontius, lib. VI, cap. XI, n. 3; Sanchez, de *Matrim.*, lib. VII, disp. 10, n. 10, ipsisque testibus declaravit sacra congregatio, et motus proprii Pii V, confirmatque ipsa praxis et universalis ecclesiæ consuetudo, optima legum interpretis, c. VIII, de *Consuet.*

4. *Cognatio spiritualis nec naturali, nec divino.* — Resp. II. Cognatio spiritualis, et consurgens inde impedimentum dirimens non divino, aut naturali. sed solo jure ecclesiastico est introductum. Covarruvias, de *Matrim.*, p. 2, cap. 6, § 4; Sanchez, lib. VII, disp. 54, n. 2, eoque teste omnes. Et quidem, quod jure naturali non sit introductum, patet; quia sacramenta, ex quibus cognatio spiritualis oritur, non ex natura, sed ex sola institutione Christi originem habent. Quod autem nec ex jure divino proveniat, inde constat; tum quia de hoc nec ex sacris Litteris, nec ex traditione apostolica aliquid habetur: Tum quia si ex jure divino esset,

Papa in eo nec dispensare, nec illud pro arbitrio immutare valeret, per dicta lib. I, tit. II, n. 453, arg. can. *Inferior*, 4, dist. 24, et c. *Cum inferior. de majorit. et obedient.* Quod tamen factum est per concilium Tridentinum, sess. 24, de *Reform. matrim.*, cap. II, cujus textum vide infra n. 18.

5. *Sed solo ecclesiastico jure introducta est.* — Quod vero jure ecclesiastico introductum habeatur, patet ex iuribus n. 2, citatis, totoque hoc titulo, et cau. 30, q. 1, et 3. Ratio autem hujus ecclesiasticæ constitutionis est; quia per dispensationem sacramentorum baptismi, et confirmationis fit spiritualis quædam generatio: baptismus enim dat primam vitam spirituales, quæ dein per confirmationem perficitur, et roboratur, ut cum S. Thoma advertit S. Bonavent. in 4, disp. 42, a. 1, q. 1, et notatur can. 1, ac seqq. caus. 30, q. 1, et 3. Hinc, sicut ex generatione naturali oritur cognatio, naturalis matrimonium dirimens, sic voluit ecclesia, ut etiam ex generatione spirituali cognatio et parentela oriretur spiritualis, pariter matrimonium dirimens, idque ex decentia ac reverentia, quæ spiritualiter nati debent suis spiritualibus genitoribus, arg. cit., can. 1 et seqq., cau. 30, q. 1, juncta l. *Si quis alumnus*, 26, C. de *Nupt.*

6. *Cognatio spiritualis olim triplex fuit, paternitas nempe, compaternitas et fraternitas.* — Resp. III. Cognatio spiritualis antiquo jure triplex fuit. Paternitas nempe, compaternitas, et fraternitas. Paternitas spiritualis est propinquitas, seu cognatio spiritualis, inter baptizantem vel confirmantem, eorumque uxores, et baptizatum vel confirmatum, item inter baptizati, aut confirmati patrum ejusque uxorem, et inter ipsum baptizatum, et confirmatum, arg. can. *Ita diligere*, 1, cau. 30, q. 1, can. *De eo*, 5, ead. cau., et q. can., ex eo. 4, cau. 30, q. 1, juncto c. I, h. t., in 6.

7. *Compaternitas spiritualis est cognatio inter baptizati et confirmati naturales parentes ex una, et inter baptizantem et confirmantem, atque paternos, eorumque uxores ex altera parte, can. Si quis. 3, cau. 30, q. 4, juncto cap. I, ead. in 6.*

8. *Fraternitas spiritualis est cognatio inter baptizatum, vel confirmatum ex una, et filios naturales baptizantis, vel confirmantis, atque patrinos ex altera parte, can. 2 et 3, cau. 30, q. 3, et c. 1, 3, et 7, h. t.*

9. *Hodie est restricta.* — Jure autem novo Trident., sess. 24, de *Reform. matrim.* cap. II,